PETRUS LOMBARDUS
Admont, 2. Hälfte 12. Jh.
Seite 41r
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26147
Copyright: Admont, Benediktinerstift



timuisse et tristis fuisse. Vnde Ieronimus super matheum ubi legitur cepit
contristari et mestus esse. ut veritatem inquit probaret assumpti hominis
vere contristatus est. sed non passio eius dominatur animo. unde propassio est. Vnde
ait. cepit contristari. Aliud est enim contristari. aliud incipere contristari.
quod est aliter contristatur quis propassionem aliter per passionem. ideoque secundum
distinctionem hanc aliquando dicitur christus non vere timuisse. aliquando vere
timuisse. quia verum timorem habuit et tristiciam. sed non secundum pas
sionem. neque ex necessitate conditionis. Vnde Augustinus ex his causis
volens assumi dictorum intelligentiam dicit christum non vere
timuisse et tristatum esse. et incontinenti veram tristiciam habuisse.
his verbis. Infirmos in se presignans dominus ait. pater si fieri potest
transeat a me calix iste. Non enim vere timebat dominus pati.
tercia die resurrectus. cum arderet paulus dissolui et esse cum
christo. Iste gaudet coronandus. et tristis est dominus coronatus.
Ecce hic videtur tristiciam et timorem a christo removere. continuo autem
subiungitur. Sed tristiciam sic assumpsit quomodo carnem. Fuit enim
tristis ut euangelium dicit. Si enim tristis non fuit ut euangelium dicit
tristis est anima mea usque ad mortem et cetera. ergo et quando dicit dormiuit
ihesus non dormiuit. vel quando dicit manducasse non manducauit.
et ita nichil sanum relinquetur. ut dicatur et quia corpus non
erat verum. Quicquid ergo de illo scriptum est verum est. factum est.
Ergo tristis fuit. sed voluntate tristiciam suscepit veram.
quomodo voluntate carnem veram. Ecce aperte noscis eun
dem sibi in his verbis contradicere. nisi varias dictorum discernet causas.
ex quibus intelligentia verborum assumenda est. Si enim discernatur

Ieronimus